

DIVINA GRATIA ADSPIRANTE!
DISCURSUM
De
**MAGIA NU-
MERORUM,**

Permittente

AMPLISS: COLLEGIO PHILOSOPHICO,
PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO

**M. CHRISTIERNO
ALANDRO,**

El. Prof. Ord.

Ad diem 28 Nov. Anni MDCCCLIII
In Auditorio Superiori *Auraico boris locoque*
confuetis, sobrie philosophantium ex-
mini submittit

Pro

usitato in Philosophia Honoris Titulo,
GUSTAVUS POLVIANDER

Satag Finl.

Exc. Jo. WAL.

Printed by G. & J. D.

И ПРИЧЕРКА КИТАЯСЬ ЧИЩЕН

ВЪ СЛУЖБѢ БОГАЮЩА

СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ

СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ
СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ

СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ

СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ

СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ
СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ

СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ

СЛУЖІТЬ БОГАЮЩА
І МОИМ



CAP. I.

*Originem & usum Magiae,
proponet.*

§. I.



Agiam numerorum examinaturus non inconsultum existimaverim, si pauca de originatione & usu vocis Magiae præmisero. Constat autem vocem Magiae originem suam debere Persis ex Suida indicante, Persarū indigenas vocasse sapientes Magos & Magusæos, Μαγῶν ὁ πέρσης μαγεῖαι καὶ αστρολογία απὸ μαγγασῶν ἥρξαν, licet nonnullum Pasore in voce Μαγῶι, contendant esse Hebræam a Rad. πάπι meditatus est, inquisivit; legimus tamen Magum eundem fuisse apud Perias, quem Græci Philosophum, Ægyptii Sacerdotem, Latini Sapientem

A

voca-

vocarunt, hinc Strabo lib. 15. dicit: Magos Persicos sectari honestum quoddam vivendi genus. & Hieron: Magi sunt qui de singulis philosophantur, nec malefici sunt sed Philosophi Chaldæorum. Plato etiam in Alcibiade Magos vocat Divini & humani juris interpretes, universæque philosophiæ Professores. Ergo illis temporibus Magi dignitate & autoritate eminebant, eratque tanta illorum autoritas ut nemo Rex salutari potuerit qui non ante Magorum disciplinam percepisset, teste Cicer. lib. 1, de Divin: deque horum consilio omnia Reges egisse autor est Hieronymus, imo, quod magis, Regibus ipsi imperabant notante Plinio lib. 30. nat. hist. Cap. 1.

§. II.

Quemadmodum autem nomen hoc olim honestissimum erat, ita successu temporis, cum res vulgi captum excedentes veteres Magi proflerentur, horumque admiratores inauspicata quadam æmulatione accensi, omnibus inge-

geniū viribus consequi eadem non valerent, fœdo cum Diabolis commercio inito, ad idem sapientiæ fastigium ascendisse videri voluerunt: quamquam iplos etiam sapientes non acquievisse naturæ scientia, sed a satana subsidia expetiisse vanæ gloriolæ ergo, sub prætextu qualitatum occultarum, vero omnino simile videtur: magna infamia honestissimo nomini ab impostorum colluvie est invista, ut sit factum multis odiosum. Unde duplex enata Magia, una Naturalis, altera non naturalis seu dæmoniaca; illa naturæ viribus nititur, qua propter etiam licet nomine insignitur: hæc Diabolum autorem agnoscit illicitaque merito dicitur. illius fundatum sunt qualitates occultæ cum manifestis altius perspectæ: hujus nullum datur præter auxilium Dæmonis hominum animos mirifice ludentis & dementantis, quod sibi per pætum & conventionem initam conciliant.

§. III.

Pactum autem illud quod magi cum
 Magistro suo ineunt, duplex præcipue
 docti rerum magicarum inquisitores
 faciunt. Expressum unum Tacitum
 alterum: prioris tres dari modos di-
 cunt quod nempe fiat, vel Diabolo vi-
 sibiliter in forma corporea apparenti &
 eoram testibus confirmanti, quod etiam
 aliquando fit per libellum supplicem
 Dæmoni præsentatum: vel illo quidem
 præsente sed absque testibus: vel per
 vicarium ejus Magum videlicet & cum
 quidem cum paciscaens Dæmonis aspe-
 ctum vel colloquium reformidat. Hoc
 tertium genus Grillandus licet non sa-
 tis commode vocat Tacitum; quamvis
 enim professio hic fiat alteri quam Dæ-
 moni, fit tamen expresse & in ejus no-
 mine. Præcipuas expresse paciscentium
 cum Diaholo leges numero decem ex-
 hibet Mart. Delrio lib: II. Disquis. Magic.
 quæst. 4. quas consilio prætermittimus
 scilicet ignorari quam sciri digniores.

Pactum Tacitum quod alias implicitum dicitur in dupli-
ci est differentia. pri-
mum, quando quis sciens & volens su-
perstitiosis utitur signis quibus uti lo-
lent Magi, quæq; naturaliter id præstare non possunt ad quod adhibentur. Se-
cundum, cum quis magieis signis uti-
tur ignorans ea esse superstitiona & a Dia-
bolo instituta ad ejusmodi effectus vi
diabolica producendos.

CAP. II.

*Ipsam Magiam seu vim naturalem
quæ numeris & Arithmeticis &
Musicis tribuitur, examinabit.*

§. I.

 vandoquidem humana natu-
ra ita misere exceccata est,
ut pactum hoc qvod impli-
citi nomine venit, pro fœ-
dere cum diabolo inito mortalium ple-
riique non agnoscant, non mirum qvod
A 3 repe-

reperiantur multi eo utentes atque ei-
dem cum magis superstitioni operam
dantes: cui etiam anumeramus fœderi,
illam, quæ numeris tam Arithmeticis
quam ex parte Musicis vis operandi
tribuitur. quapropter proprius ad ar-
gumenti hujus examen nos accingemus,
inquisituri quid valeant rationes super-
stitionum a parte eorum stantium, qui
numeris vim operandi inesse dicunt. E-
quorum numero removendi sunt Patres
orthodoxi, qui licet multa de connexione
numerorum passim philosophentur, non
tamen ullam vim naturalem vel magi-
cam ipsis numeris qua tales tribuunt,
sed tantum divina quædam mysteria in
hac connexione numerali contemplan-
tur; audet tamen Petrus Gregorius in
syntaxi artis mirabilis eam dicam illis
adscribere præsertim Hieronymo & Cy-
priano, quo ipso magnam injuriam illis
facit: cumque nullius certi loci mentio
nem facit merito ea in re vanitatis
arguitur.

§. II.

Numeris Arithmeticis vim effectivam
in esse dicunt non solum vulgus, &
homines judicio res discernendi non pol-
lentes, qui superstitiosis illusionibus ca-
pi facile possunt; verū etiam illi qui e-
ruditi videri volunt sententiam illam a-
criter defendunt, omniaque ad nume-
rōrum vim referenda putant, inter quos
palmam tenent Platonici & Pythagoræi.
et quidem incredibile dictu, quantam
vim existimet vulgus superstitioni de-
ditū numero impari præcipue ternario
& novenario inesse, cuivis vel parū in-
ter eos degenti & conversanti notum:
dum enim superstitionibus suis, nescio
an a majoribus acceptis vel alio aliquo
angulo effossis utuntur, nullam illis, si vel
maxime magicæ res sint, vim inesse cre-
dunt, nisi absolvantur ternario vel nove-
nario. quare numerus hic
absolute vel ternarius vel novenarius de-
beat esse, nihil aliud obtinebit responsi, nisi
quod

alias huic vel illi rei nihil roboris insit.
fundamentum forte credulitatis eorum
est quod numerus ternarius sit primus
figuratus & harmonicus numerus, pri-
musque habens initium medium & fi-
nem; novenarius autem secundus qua-
dratus ex ter tribus compositus, quem
musis sacrum veteres tradiderunt. Cæ-
terum nec minori laude evehitur nume-
rus septenarius, cuius tantam esse ma-
jestatem tantam divinitatem, ut veteres
~~επέστησαν καὶ τελεῖσαν~~ id est sacrum & ve-
nerandum appellarent, contendunt. Huic
Philo Judæus hanc prærogativam tri-
buisse dicitur quod μόνος ἦν γενέσις πέφυ-
τερ ἔτε γενεθλίου solus neq; gignere natus
sit neq; gigni. datur etiam numero septe-
nario nomen primi virginei, quia nullum
ex le parit numerum duplicatus, qui intra
denarium consistat, notante Joh. Micr.
in lex. Philos. Verum horum vanitas
vel sola mentione facta elucefcet, quid
enim est numerus nisi multitudo ex u-
nitatibus conflata. & quemadmodum

8) 9(8

omnes necessum habent fateri numerum esse quantitatem, ita etiam agnoscant viri canonis: quantitatis nulla est efficacia per se, & fateantur efficaciam a formis & qualitatibus esse non autem a quantitate & numeris.

§. III.

Ne vero absque rationibus pugnare videantur efficacitatis numerorum defensores duo nobis objiciunt, videlicet, quod annus climactericus, qui est annus ex septenario & novenario gradatim multiplicatis exurgens, magnam efferaat mutationem hominibus, vel enim calumniis impeti solent, vel gravissimis morbis divexari & periculis objici, vel pati jacturam facultatum. Quibus Respond. concedendo quidem multos magnos & egregios viros, anno suo climacterico præcipue magno, qui ex septem cum novem multiplicatis oritur. nimirum LXIII vitam finisse; hinc Augustus Cæsar sibi gratulatorus dicitur

B

præ-

præterlapso anno ætatis suæ LXIII &
 ad filium scripsisse hæc verba: *letare me-
 cum fili, transgressus enim sum omnibus seni-
 bus, periculorum annum sexagesimum tertium.*
 Nihilominus tamen etiam probari po-
 test viros illustres, extra illos annos ex-
 tinctos. Itaque quæ de annis climaëte-
 ricis dicunt plus habent curiositatis
 quam veritatis; & ad morbos potius
 mortemque quam ad divitias calumni-
 as & alia ejusmodi vis illa referenda.
 quod autem per hos annorum circu-
 itus & volumina morbi plerumque in-
 gravescant obscurior est ratio; ajunt
 tamen quidam quod sicut criticorum
 dierum ratio potissimum ab humorum
 & complexionis quæ in hominibus sunt
 ratione & periodo quadam naturali
 pendet, idem annis climaëticis eve-
 nire, quod corpus humanum certis an-
 norum periodis magnam collectionem
 & redundantiam humorum congefferit,
 & conceptacula humorum plenitudi-
 nem referre nequeant, inde in morbum

erumpere necesse esse. Marsilius Ficinus hanc affert rationem astrologicanam quod ordo planetarum singulis septen- niis ad saturnum revertatur, ita ut saturnus leptimo quoque anno gubernet mortales & eorum corpora: alii saturnum quidem præcipuam causam esse non inficiantur, sed aliam ob rationem quod nimirum plerumque sit peregrinus & interfeitor mortalium, & singulis fere annis ad quadrantem loci, aut si minus, ad contrarium naturæ signi unde egressus est perveniat.

§. IV.

Ulterius sententiam suam, quam defendunt, probare conantur ex eo quod partus octimestris non sit vitalis, cum tamen septimestris & nonimestris, eo quod impari & perfectissimo numero constent, vitales sint. Causam hujus rei inquirunt Genethliaci & Astrologi imo etiam Geometræ, quibus sua relinquimus placita, cum arrideat no-

12

bis præ illorum rationibus Andreæ Laur. Medici dicentis: Hist. Anat. lib. 8.
cap. 9. Cum septimo mense perfectus sit puer,
nihilque ad perfectionem partium in eo de-
sideretur, si eo mense satie validus sit mem-
branas disrumpet, exitum sibi parabit, crit-
que superstes præsertim si fuerit mas. At
etavo mense si prodeat, licet perfectus sit di-
valis nou erit, quia duas afflictiones sibi in-
vicem succedentes ferre non potest; superiore
enim mense plurimum colluctatus est, nunc
eundem conatum repetit, nondum refectis vi-
ribus succumbat ergo necesse est. Ad con-
firmationem suæ sententiæ adducit Hip-
pocratem initio libri de Octimestri parti
dicentem: de octimestri partu sic sensio.
non potis esse puerulum duas sibi
in vicem succedentes afflictiones ferre,
ideoque Octimestres superstites non
manere. Et ulterius dicit antenomi-
natus And. Laur. *hac est Pythagoræorum*
& arithmetorum de septimestris & octime-
stris parsus causis sententia (enumerat e-
nim eorum rationes) qui omnia ad nu-

merorum vim referenda putant. ego cuicunque Aristotele in Metaph. numerum per se agendi vim nullam habere existim, quantitas enim est, sed ratio numeri, que veluti forma quedam est temporis omnia naturae opera concludens, mira prestans.

§. V.

Ex his itaque patet, si quos herba Pantaphylli effectus habeat, non ipsi quinario numero sed substantiae foliorum tribuendos; vanum itaque judico atque superstitionem quod unum ejus folium ephemera, tria tertianam, quartuor quartanam sanare dicuntur: item quod heliotropii grana tria tertianae, quartuor quartanae profint. Pilulas etiam & catapotia impari numero ægritudine confectis traditas, plus prodesse quam pari, licet æquali præbeantur quantitate, haud longe a superstitione abesse existim.

§. vi.

Nec minoris vanitatis arguendi sunt illi, qui viri aliquam inesse contendunt certis Psalmis eo quod sint certo numero collocati, sibique perswasum habent ut prospere cœpta legenti succedant, vel ut magnis e periculis liberentur; his annumerant Psalmum primum, dicentes unitatem esse perfectum quid, quasi vero quinariis ternariis &c. sua quoque non sit perfectio. Nec non Psalmum decimum, quia denarius ex eorum sententia est perfectio omnium numerorum perfectionisque numeros in se omnes continet. Item Centesimum quia ex decies decem conflatur, ideo adhuc feliciorum esse. Sed refelluntur, denarius enim & centenarius quatenus numeri sunt bonitatem realem nullam habent, nec Physicam nec Ethicam sed artificiosam tantum ex imaginatione numerantis procedentem bonitatem,

tem, quæ non obtinet ullam in corpora
seu res quæ numerantur efficaciam.
Deinde aliis est ordo Psalmorum in
fonte Hebræo quam in versione Latini-
na, ergo sequeretur illum Psalmum
qui felix est secundum versionem La-
tinam, infelicem esse secundum fontem
Hebræum: vel unus esset felix dicenti
Hebraice, aliis vero dicenti Latine
quod absurdissimum.

§. VII.

In hoc superstitionum genere Judæi
adeo frequentes sunt cum arte sua
Kabbalistica, quæ est abstrusior eorum
modus scripturam S. præsertim expli-
candi & applicandi. Ut jam nihil lo-
quar de illa quæ practica dicitur, illa
enim tota impia superstitiona & ma-
gica est. centent enim Judæi per artes
Kabbasticas e scriptura petendas aver-
ti posse mala, pelli morbos, fundi ho-
stes, & quæ non alia ejusmodi? quo
pertinet non solum liber *Timmus b Tillei*
qui

qui totum Psalterium ad magicas superstitutiones depravat; sed & horrendus nominum Divorum abusus & Schemhamphorasch tantopere decantatum. Verum solent etiam juxta Gammam suam quæ est Kabbalæ species explicare voces e numeris quos juxta valorem literarum suarum arithmeticum continent. Sic Zach. III. 8.
נָך explicatur per כְּנָך quia utraque vox quoad valorem literarum arithmeticum continet 138. ad hanc Kabbalæ speciem referri possunt varia artificia mnemonica e numerali expositione vocum petita, cuius exempla Excellentiss. D. Pfeifferus in Crit. Sac. collexit, unde unum saltem vel alterum hic inserere placuit. בְּרָאשֵׁת legi potest וַיַּהֲיֵה בְּרָאשֵׁ in primo scil. Templo sunt anni CCCCX. junge jod alterum habebis durationem templi alterius CCCCXX annos. Sic Gen. XVII. 19. vocabis nomen ejus פֶּרֶצִי, וַיַּן notat Tentationes Abrahami וְיַעֲקֹב, XC annos Sa.

Saræ, n^o liX diem circumcisionis, p^o C
anonum Abrahæ cum Iсаac nasceretur.
plura C.L. suppeditabit nominatus autor.

§. VIII.

Sic tenui minerva evictis iis quæ vim
naturalē numerorum arithmeticō-
rum probare videbantur, jam pergere
animus est ad retellendos eos qui vim
aliquam musicis numeris tribuunt. Oc-
casio hujus commenti creditur fuisse
Musica Orphei Poëtæ Thracii antiquissimi
& excellentissimi, quam Dæmoni-
hus, animantibus brutis, saxis & arbo-
ribus imperasse fingunt Virgilius Ovi-
dius &c. qui prolixiores in hac re fue-
runt, quæ brevibus complexus est Ma-
nilius idem de sideribus aſterens cuius
carmen hue introducere placet.

At lyra diductis per Cœlum cornibus inter
Sidera conspicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu; Manesq; per ipsos
Pecit iter domitque infernas carmine leges
Fluie similis stat bonos similisq; potentia cause.
Tunc silvas & saxa trahens, nunc sidera ducit
Et rapit immensum mundi revolabilis orbem.

C

E.

Eandem sententiam fovet Plinius docens serpentes contrahi Musarum cantu et iam in nocturna quiete lib. 28. Cap. 22. licet a non repugnaverim animantia sensu auditus praedita, musicæ instrumentalis modis capi posse, ejusque soni jucunditate allici; insensibilia tamen & sensus expertia, ut sunt Cœlum, sidera, aer, terra, per illos moveri certe nullis rationibus mihi persuaderi posse existimo. Et licet admittatur quod tamen negat Arist. cœlum moveri harmonia (quod Argumentum est Procli) & porissimum ipsos planetas, omnia vero inferiora subjecta esse planetis & a stellis vim accipere, quod experimento herbarum probari videtur, quæ ad incrementa lunæ & solis conversiones mutantur, moventur, crescunt, marcescunt; animalium quoque quæ siderum sequuntur, naturas & lapidum quorum eadem lex est: ut Heliotropii quod solem imitatur, Selenetis qui lunam, Heliocelini, quod utrumque sidus, Magnetis qui Cynosuram; illa tamen harmo-

dia non est perceptibilis sensu corpo-
reo sed tantum animo & mente. & li-
cet cœli & astrorum influentia in res
sublunares non adeo neganda sit, non
tamen operatur influentia illa quidvis
promiscue in quovis: verum pro na-
tura substantiæ seu essentiæ cujusque
rei diversimode, & pro dispositione quo-
que qualitatum & conditione singulo-
rum individuorum: sic enim non ada-
mas sed magnes convertitur, non ad
orientis viciniora loca sed ad ar-
cton. Si cynosura influit in magnetem
quia inferior, cur non in ferrum, plum-
bum, aut alios lapides? quæ tamen o-
mnia ad occultas quasdam qualitates
iis rebus insitas referenda dicimus: nec
mirum nos has qualitates non posse
explicare, quia ipsi fontes earundem
nempe differentiæ specificæ nos latent.
quæ tandem potest esse tanta vis effi-
caciæ siderum ut in res adeo differen-
tes, ventos, fluvios, montes, silvas, sa-
xa &c. musicum sonum faciant efficaci-
ter

ter imperio quodam operantem? quo pacto idem sonus unius citharae tam diversa potuit attrahere?

§. VIII.

Nec forte juvabit efficaciam Musicæ ratio petita inde quod proportiones numerorum vim habeant similem figuris, figurarum vero certis lineis & punctis conformatarum magna sit efficacia. Hanc enim rationem cum deliramento de figurarum virtute nugas & somnia esse credimus, annumeranda esse superstitionibus & aliis execrabilibus, nec vim ullam habere nisi a Dæmone quo doctore & dedicatore miseri ea acceperunt. Hic non prætereundum esse centeo quod notat Delrio ex Conr. Wimpina: Magos triplex genus imaginum seu figurarum habere. Quibusdam adhibendas docent lustrum-gationes & incantationes & per quinquaginta quatvor angelorum nomina exorcisationes, & alia quæ perfida sunt & manifestam continent idolatriam.

Se-

Secundum genus imaginum innititur
 Characteribus & sculpiuris barbaris &
 peregrinis, in quibus sunt novem Cal-
 dariæ & nomina quatuor principum
 hujus mundi cardinum & ter septem
 nomina ex Mahometicis deliriis Ara-
 bum decerpta. Tertiam speciem ge-
 nuit axioma quoddam Proloemii: vul-
 tus inferiores cœlo subiectos vultibus
 cœlestibus; & hinc intulere scorpios
 omnes terrestres regi a scorpio cœlesti,
 pisciculos omnes fluviatiles a pisci-
 bus cœlestibus. Fundantur hæc no-
 minia aphorismo magico libri impii qui
 inscribitur Attrabel, ubi traditur quod
 quando DEUS nomina rebus vel per-
 sonis imposuit simul cum nominibus
 vires & officia quædam illis distribuit;
 & ita nomina habent vim non ratione
 figuræ vel pronunciatione sed ratione
 virtutis seu officii illius quod DEUS ad
 tale nomen vel characterem ordinavit.
 Quod totum est mendacium confitum
 ad stabiliendam hanc superstitionem.
 Imposuit quidem DEUS nomina sanctis
 qui-

quibusdam, mysterii significandi causa & officio eorum quo functuri erant convenientia: sed ipsi nomini DEUS nullam vim effectivam indidit. Animantibus vero cunctis Adamum nomina deditisse in scripturis legimus non DEUM.

§. IX.

Si vero quis opinetur cantum hac virtute praeditum esse non tantum sonatione, sed ex occulta verborum cantioni insitorum vi, qua de superna sede vim illam cœlestem detrahere posset; illum a superstitionibus non immunem, verum diaboli traudibus circumventum, non diffiteor. Quid enim verba? quid voces? sunt ad conceptus communicandos non ad effectus producendos formatæ. Itaque meo quidem judicio illa quæ de stellarum, saxonum &c. attractione & motione, per modos musicos narrantur, vel fabulosa sunt vel Dæmoniacæ operationis. Dicunt etiam nonnulli ex su-

Suidā Orpheūm cui præcipue hic effe&us
tribuitur, magicis artibus imbutū fuisse.

§. X.

Non supervacuum fore puto hic loci
narrare quod refert Delrio de quo-
dam Diodoro qui magica arte imbutus,
miranda præstigiarum machinatione
Catanae floruit. Is namque potenti car-
minum suorum vi homines in bruta ani-
mantia convertere, omniumque fere rerum
formas in novas metamorphoses transfundere,
longissimisque a se spatiis disstos ad se tra-
here videbatur. Catanenses præterea adeo
crebris lacescebat injuriis, & contumeliis de-
honestabat. ut vanissime credulitatis laqueis
circumventi, ad culturam ei pendendi studium
concitarentur. Qui cum capitis reus cruci
tradendus esset, eliciorum carminum præsen-
tissima arte e Catana Byzantium, cuius Im-
perium eo tempore Sicilia agnoscebat, & rur-
sus e Byzantio Catanan e lictorum manibus
dilapsus, parvo temporum intersticio per aerem
devehi se jussit. Quibus veneficiis adeo populo
factus est admirabilis, ut in ipso quandam
numinis potentiam esse rati, errore sacrilego

cultum Sacris debitum ei exhiberent. sed tandem a Leone Catanensi Episcopo divina virtus ex improviso captus, frequenti in mediis urbe populo, in fernacenz igneam infestis. ignis incendio consumptus est. Sic Divina iustitia prevaluit, & qui se iudicibus fortius justo Zelo motis cripuerat, e sancti viri manibus elabi potuit. Atque hic gradum sistere instauri & temporis ratio jubet. Cumque tractantis simplicitatem malam materiae hujus nobilitati detraxisse sciari, confugio ad aquiores rerum censores contendens maiorem in modum, ut incultam hanc & nimis sterilem opellam in tutelam suscipiant eique patrocinentur contra rigidam hujus. xvi. severitatem. Tu interim C. L. mecum calidis votis D. O. M. interpellamus infernalem illum hostem te & me seducere satagentem sub pedibus nostris conterat, & tandem liberatos e tot temptationibus coelestem in patriam reponat, hic meta, hic laborum nostrorum finis.

SOLI DEO GLORIA.